

Roberto Bellarmino Cardinali. Romam.

Ill/me et R/me Domine

Nostram in Ascensione mentis in Deum recudendam operam, Ill/mam D.V. non displicere gaudeo: itemque ingentes de celeriori ad meas  
5 responso gratias ago; quo tamen minus indigebant, et vereor ne Gaspar Vinarius, qui meas reddidit, nimis importune, meo certe injussu illud exegeret. Neque enim de responsione festinare audeam, qui responsionem meam studio ne Ill/mam G.V. perpetuis et faustissimis Ecclesiae negotiis impeditam, crebro nimis aut temere inter-  
10 pellem. Itaque etsi vigintiquinque Ascensionis in Deum exempla per Petrum Eschinard Bibliopolam romanum jam ante bimestre miserim, scriptionem sustinui, donec Vitae Patrum a P. Heriberto recensitae et notationibus illustratae, a proelis nostris exiissent easque per eundem Eschinard mittendi commoditas esset exiguum magni mei et fra-  
15 tris Joannis erga Ill/mam G.V. cultus monumentum, cui unum alterumque Indicis Plantiniani recens a nobis concinnati exemplum adjecimus. Indicis inquam Librorum, qui ex typographia Plantiniana prodire usque ad ineuntem anni hujus autumnum. Conciones Lovanii habitae, ut ex Ill/mae G.V. voto typis plantinianis recudantur, inprimis cu-  
20 raveram; et priusquam typorum positori tradam, vel ipse recensebo, vel alii perito recensendas committam, ut facilius ab innumeris, quae obiter observare coepi, mendis vindicantur. Vale Ill/me et R/me Domine, magno Ecclesiae catholicae romanae bono. Antverpiae, in officina Plantiniana. XVIII Sept. M.DC.XV.